

CASUS
DE STATU RELIGIOSO
SEU

De Vocatione religiosa, de Voto paupertatis, de Dominio Religiosorum, de Voto castitatis, de Voto obedientiæ, de Dispensatione in votis Religiosorum.

CASUS I.
VOCATIO RELIGIOSA 1°.

Ejus obligatio.

SYNESIUS statum religiosum, non obstante interno impulsu, reformidans, ne forte pio motui assentiret, se vinculo Matrimonii vincire prope-
ravit. Verum, mox facti pœnitens, et se in statu peccati mortalis versari ob derelictam vocationem, necnon de æterna salute jam sibi desperandum esse reputans, pravis animæ desideriis apertas habenas laxavit.

HINC :

QUÆR. 1° *An vere detur vocatio divina ad Religionem?*

2° *An gravis sit ejus obligatio?*

3° *Quid de SYNESIO dicendum?*

SOLUTIO :

74. — *R. ad 1^m Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia ad statum excellentiorem et præsertim ad excellentissimum, ut est status religiosus, requiruntur gratiæ speciales, quæ a Deo solo pendent. Ergo ad solum Deum pertinet, ad hanc vocationem eligere et destinare.

R. ad 2^m Quæs. 1° Neg. per se, seu directe, quia divina consilia non obligant, ad rigorem loquendo, sub peccato, præsertim gravi. 2° Per accidens tamen seu indirecte peccat graviter, qui vocationi certo cognitæ non obsequitur, licet maxima damnationis pericula in sæculo sibi futura esse prævideat. Imo generatim difficile excusatur a peccato gravi, ait *S. Lig.*, quilibet vere vocatus, qui non obtemperat, ob imminetia salutis pericula quæ pro omnibus in mundo reperiuntur, et ob carentiam gratiarum quæ ipsi concessæ fuissent in Religione. *S. Lig. n. 78.*

Attamen *S. Doctor* non audet asserere, esse in omni casu peccatum mortale. Quidquid sit, hoc summe periculosum est, juxta omnes.

75. — *R. ad 3^m Quæs.* SYNESIUS male fecit, renuendo obtemperare impulsui quo in Religionem ferebatur, si ex signis certis novit se spiritu divino moveri. Sed pejus egit, cum, contracto matrimonio, in desperationem se dedit, et pravis desideriis habenas laxavit; nam pro omni peccato Deus bonus misericordiam tribuere semper est paratus. Potuit enim

SYNESIUS, pœnitentiam agendo, gratias ad recte vivendum in statu præ-
senti mereri, et in eo salvus fieri.

CASUS II.

VOCATIO RELIGIOSA 2°.

FLAVIANUS, cum diuturnam propensionem in statum religiosum exper-
tus fuisset, tandem apud Patres Capucinos se recepit; et, emenso tiro-
cinii tempore, vota solemnia nuncupavit. Verum, o stupenda humanæ
voluntatis inconstantia! FLAVIANUS, elapsis pluribus annis in fervoris
æstu et cordis lætitia, cœpit tædio vitæ regularis affici, necnon libertatis
desiderio corripi. Tandem, invito Confessario, et renitente Superiore,
dispensationem a sacris vinculis obtinuit, et monasterio miser et misera-
bilis valedixit. Sed a Sacramentis a novo Confessario arcetur, donec in
conventum redire firmiter proponat.

HINC :

QUÆR. 1° *An Religiosus ejectus teneatur sub gravi admissionem suam
iterum postulare?*

2° *An Religiosus, a votis ad duritiam cordis dispensatus, ab
omni obligatione religiosa liberetur?*

3° *Quid de FLAVIANO sentiendum?*

SOLUTIO :

76. — *R. ad 1^m Quæs. Affirm.*, si non fuit dispensatus a votis modo
absoluto. Ratio evidens est : Religiosus enim, licet ob culpam ejectus,
remanet tamen Religiosus, et votis ligatus. Proinde tenetur sub gravi
emendationem suam procurare, et serio postulare ut iterum in Ordinem
admittatur. Ita *Suarez, de Religione, tr. 8, c. 3, l. 5.* — *Busembaum,*
approbatus a S. Lig. n. 2, et alii communiter.

Dicunt quidem plures quod, si Religiosus ejectus, semel vel iterum
suam admissionem postulaverit, et repulsam passus fuerit, non amplius
ad quidpiam teneatur; sed merito dicit *Suarez*, talem Religiosum adhuc
teneri ad ingressum, si jubeatur, nisi absolutam votorum dispensationem
obtinerit; quia, dum manet vinculum religiosum, adhuc subsistit eorum
obligatio.

77. — *R. ad 2^m Quæs. 1°* Non est tutus conscientia, et invalide fuit
dispensatus, si ipse, per *obreptionem substantialem*, dispensationem a
votis extorsit. Ratio patet ex dictis de dispensationibus, in *Tractatu de
Legibus, etc.*

2° Si vero Religiosus, nulla prorsus fraude interposita, dispensationem
obtinet absque ulla conditione, potest esse immunis ab omni peccato
relative ad votorum obligationem, quia ab eorum vinculo *simpliciter* so-
lutus fuit. Quando autem quis, sine justa causa, et importunis precibus
dimissionem a Superioribus quasi extorsit, tunc dispensatio quæ, ad du-
ritiam cordis, seu ad vitandum majus malum, conceditur, non omnino
coram Deo Religiosum liberat. Sed ille tenetur ad religiosa vota iterum

amplectenda, vel ad sanandum defectum prioris dispensationis. Idem dicatur de eo qui, male agendo, curavit ut ejiceretur. Cæterum, accidere potest ut peccaverit primum postulando et procurando dimissionem, et postea oblineat, tutus in conscientia, absolutam dispensationem.

78. — 3^o Religiosus *solemniter* professus a suis Superioribus solvi nequit, sed ad Papam recurrendum est. Licet autem a Summo Pontifice dispensetur, ordinarie non solvitur *simpliciter* ab omni obligatione religiosa, sed subjicitur alicui Episcopo qui ejus Superior constituitur, et cui obedientiam præstare debet. Attamen ab omni vinculo a Papa liberari posset, quia etiam Professio solemnitas, juxta communem sententiam, ex institutione ecclesiastica repetenda est (1).

R. ad 3^m Quæst. Quid de FLAVIANO? Si a Summo Pontifice modo absoluto dispensatus fuit, non tenetur *per se*, seu ratione præcedentis Professionis, Religionem repetere. Secus vero, si non fuerit dispensatus absolute, ut ordinarie fieri solet quoad solemniter professos.

CASUS III.

VOCATIO RELIGIOSA 3^o.*Quatenus cognoscenda et dirigenda.*

1^o PHILOCLES, studiosus animarum moderator, virginibus in monasteria intrudendis totus incumbit. Obvias difficultates facile solvit, dubia quæcumque in Religionis favorem dirimit, dicens: « Ite et vos in vineam Domini. » Etenim, ait, nonne Christus omnes volentes ad vineam suam vocat? Libenter puellæ, sibi in sacro tribunali occurrenti, ipse præeundo: « Nonne tu, ait, de statu vitæ cogitas, necnon de effugiendis pestiferis mundi illecebris? » — Si qua puella sponte mentem de Religione amplectenda ipsi aperiat: « Perbene, filia, ait, gratias age Deo Optimo pro hac egregia cogitatione, quam animæ tuæ indidit. Gaude et lætare, filia; Christus, sponsus tuus, ad nuptias te vocat. »

2^o ROGERIUS, contra, decisionem nullam circa vocationem afferre valet. A pœnitentibus interrogatus, in promptu responsum idem semper habet, scilicet: « Ora Deum, ut lumen accipias. — Sed, Pater, quid faciam, ut « in cognitionem vocationis meæ deveniam? — Exorandus Deus. — Sed « a multis annis in ancipiti versor. — Deus exorandus. — Sed a decem « annis oravi, et adhuc dubium superest. — Oportet semper orare et « nunquam deficere. »

HINC :

QUÆR. 1^o *Quænam sint signa ordinaria vocationis religiosæ?*

(1) Ou le religieux qui est renvoyé reçoit une dispense juste et valide de ses vœux, ou il est renvoyé simplement et sans qu'on lui accorde cette dispense, ou il la reçoit, mais après l'avoir obtenue par de mauvaises voies. Dans le 1^{er} cas, il est délivré de toute obligation; dans les deux autres, il n'est pas libre devant Dieu, et doit s'efforcer par sa conduite de mériter qu'on le reçoive de nouveau dans l'Ordre qui l'a renvoyé, ou dans un autre corps religieux; et si cela ne se peut, qu'on lui accorde une dispense qui pourra être légitime. *P. Gautrelet, Traité de l'état religieux, t. II, c. 4, art. 3.*

QUÆR. 2^o *Quomodo se gerere debeat Confessarius interrogatus de vocatione religiosa?*

3^o *Quid suadendum in dubio de vocatione, seu in casu inclinationis ancipitis?*

4^o *Quid de utroque Confessario?*

SOLUTIO :

79. — *R. ad 1^m Quæst.* Duo signa in Providentia ordinaria requiruntur et sufficiunt, generatim loquendo, scilicet :

1^o Debita aptitudo, tum ad Religionem in genere, tum ad Religionem particularem cui quis adscribi cupit, vel ad gradum ejusdem amplectendum.

2^o Inclinationis voluntatis vera, recta seu pura, et constans. *Vide Comp. n. 151.*

R. ad 2^m Quæst. Confessarius ordinarius non statim responsum dare debet, sed rem mature perpendere, et orationem pœnitenti commendare. Interim autem investigare debet, an vocationis signa sint certa vel dubia. Si pœnitens aptus videatur et generosa voluntate præditus, si motivis supernaturalibus impulsus, etc., signa certa adsunt, et Religionis ingressus suadendus.

Quando autem res ad Confessarium extraordinarium defertur, magna circumspectione opus est. Etenim, si Moderator ordinarius cavere debet ne in re tanti momenti a vero deflectat, a fortiori ille novus qui cognitione antecedenti de postulatore omnino caret.

80. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Si agatur de eo qui adhuc in sæculo versatur, adhortandus est primo ad orandum et ad rem, præsertim B. Mariæ Virgini, commendandam. Dubio permanente, si nihil urgeat, v. g. si pœnitens junior sit, res protrahenda est per examina, orationes et affectuum mortificationem, usquedum signa magis clara evadant.

2^o Quod si tempus tantam moram non permittat, stante successus probabilitate, inducendus videtur ut Religionem ingrediatur ad experimentum faciendum. Si dubium perseveret, vel sæpe redeat, etiam elapso experimenti tempore, non erit permittenda Professio religiosa, sed novitiatus notabiliter erit prorogandus, vel novitiatus dimittendus.

3^o Si dubium afficiat non quidem pœnitentis voluntatem, sed ejus qualitates, Confessarius eum inducere potest ad Religionem amplectendam: melius enim de ejus dotibus, decurrente novitiatu, Superiores et Magistri judicabunt.

4^o Si dubius de vocatione, peracto novitiatu veras qualitates habere videatur, et sit adhuc titubans hinc et inde, induci potest ad vota emitenda, modo hæsitatio ex notabili repugnantia non proveniat.

81. — *R. ad 4^m Quæst.* 1^o PHILOCLES imprudenter se gessit tam facile, absque prævio et gravi examine ad Religionem plurimos propellendo. Stulte applicat ad vitam religiosam verba Christi, quæ ad Christianismum, seu ad salutem consequendam, proprie referenda sunt.

2^o ROGERIUS autem limites prudentiæ excedit, nec satis adjuvat pœnitentes bonæ voluntatis, qui, sibi solis relictis, animo deficient. Sed eos

interrogare debet, a quo tempore propositum ingrediendi Religionem habuerint? an multum vel mediocriter id exoptent? quo fine præsertim ducatur? etc. Si responsis satisfacere videantur, blande eos inducat ad finem hunc attingendum.

CASUS IV.

VOCATIO RELIGIOSA 4°.

Qualis finis intendendus sit.

1° CORNELIA, puella opibus destituta, ut hujus vitæ curis et miseriis se subtrahat, in quodam monasterio sanctimonialibus adjungi enixe efflagitat. Sed, elapso fere novitiatus biennio, Confessarius, cum ingressus ejus causam detexisset, declarat illud nihil valere prorsus, utpote mere humanum ac naturale, adeoque novitiam dimittendam esse pronuntiat. Ejulare et obniti puella, sed frustra: surdo enim cecinit.

2° GODILLA, puella, nuptias haud spernendas proxime cum JULIANO erat celebratura, simul et pinguem avunculi morientis hæreditatem inhians expectabat. Sed heu! repente a sponso derelinquitur, et, eodem tempore, defuncti avunculi hæreditate destituitur. Indignabunda GODILLA, proditori et fallaci mundo in æternum valedicens, in monasterii septa convolat, ibidem religiosam Professionem emissura.

HINC:

QUÆR. 1° *An finis pravus, vel mere naturalis, argumentum sit certum de vocationis defectu?*

2° *Quid de juvenibus qui vocationem religiosam amplectuntur, ut a militia eximantur?*

3° *Quid agendum cum novitiis vel professis qui fine humano ducti, Religioni se addixerunt?*

4° *Quid ad casus?*

SOLUTIO:

82. — *R. ad 1^m Quærs. Affirmative*, si finis ille fuerit primarius et constans; dixit enim Christus: *Si quis vult esse meus discipulus, abneget semetipsum*, etc. Ille qui primario ducitur fine pravo, aut mere naturali, non potest esse aptus ab abnegationem profitendam: ergo non est aptus ad Religionem. Secus vero, si finis iste non sit primarius, vel si fuerit postea retractatus, etc., quia tunc vel fuit mera causa impellens, vel mera occasio vocationis.

83. — *R. ad 2^m Quærs.* Eodem modo distinguendum est ac in responsione jam data. Non pauci autem hujusmodi candidatorum, defectu veræ vocationis, mali Religiosi evadunt. Sedulo igitur tempore novitiatus probandi sunt.

R. ad 3^m Quærs. Indagandum, utrum fine primario vel secundario tantum ducti fuerint. Admonendi sunt de gravi animæ periculo, quod etiam in Religione incurrunt. Postea, si contriti et in melius mutati videantur, poterunt adhuc ad probationem retineri; secus erunt dimittendi.

84. — *R. ad 4^m Quærs.* 1° Male egit Confessarius erga CORNELIAM. Debebat enim imprimis novitiam examinare sedulius de fine suo, utrum nempe non intenderit etiam animæ suæ providere. Insuper nihil præcipitare debuisset, sed CORNELIAM inducere ad novitiatum peragendum, debito fine sibi præstito, etc.

2° Nihil obstat quin vocatio GODILLÆ divina esse possit, a principio quidem. Sæpe enim Deus utitur terrenis calamitatibus, et humanis deceptionibus, ut suos electos a mundo eripiat et in suum servitium adducat. In his casibus, calamitas vel deceptio est quidem occasio, non vero causa finalis ingressus in Religionem.

3° Si GODILLA recte tempore probationis procedat, virtutes religiosas colat, et novitiatus præscripta sat diligenter servet, signum indubium divinæ vocationis habebitur.

CASUS V.

VOCATIO RELIGIOSA 3°.

Obex vocationi.

FLORENTIUS, nobili genere et alacri ingenio juvenis, lucrosum munus exercebat, et de matrimonio feliciter ineundo cogitabat. Interea vero, gravi morbo correptus, instante morte, divini judicii metu percussus, Religionem Carthusianorum ingredi vovet, si convaluerit. Valetudine subinde recepta, votum adimpletur, illud patri suo manifestat. Hic autem, qui, patrimonio dilapidato, ad inopiam vergebat, spemque omnem rei familiaris restituendæ in filio reposuerat, totis viribus eum a suscepto proposito remove conatur. « Attende, fili, ait, quod ego jam senui, et labilis est meæ fortunæ status. Cerne etiam miseram conditionem fratris tui majoris, qui ob ingenii tarditatem, rem domesticam adeo male gessit, ut neque sibi, neque numerosæ proli alendæ prospicere queat, et auxilio tuo indigeat. » FLORENTIUS, his rationibus minime permotus, ut animæ saluti provideret, invito patre, Religionem ingreditur, et, elapso tirocinii tempore, solemnem Professionem emittit. Interim pater senex, reliquis bonis consumptis, ad vitam ægre sustentandam, cujusdam caudidici scripturas, pacta mercede, peragere cogitur; frater vero, ad suos alendos, cum familiæ dedecore, cuidam diviti famulatur. His cognitis, FLORENTIUS, qui magno fervore et cordis lætitia Deo serviebat, anxietate pressus, dubitat utrum vocationem suam deserere debeat, ut patri et fratri succurrat.

HINC:

QUÆR. 1° *An filius possit Religionem ingredi, parentes in necessitate relinquendo?*

2° *An filius teneatur egredi e Religione, ut parentibus succurrat?*

3° *An parentes, vice versa, Religionem ingredi possint, filiis indigentibus relictis?*

QUÆR. 4^o *An liceat relinquere fratres, aut sorores necessitate pressos, ad Religionem ingrediendam?*

5^o *An recte egerit FLORENTIUS Religionem ingrediendo?*

6^o *Ad quid nunc teneatur, aspectis quæ in casu?*

SOLUTIO :

85. — *R. ad 1^m Quæ.* Filiusfamilias Religionem ingredi nequit *per se*, relinquendo parentes in necessitate sive extrema, sive gravi. Secus, si in necessitate communi tantum versantur. Sic *S. Thomas*, 2. 2, q. 189, art. 6 : « Parentibus in necessitate existentibus ita quod eis commode aliter « subveniri non possit, non licet filiis Religionem intrare. Secus, si filiorum obsequio non multum indigeant. » Item, *Quodlib.* 10, art. 9, ait : « Si sine ejus (filii) obsequio parentes nullo modo vivere possunt, tenetur « eis servire et alia opera perfectionis prætermittere. Si vero sine ejus « obsequio possunt aliquantulum sustentari, non honorifice, non propter hoc « tenetur opera perfectionis dimittere. Hoc autem valet, etiamsi filius « votum ingrediendi Religionem emisserit. » *S. Lig. n. 66. — Lessius. — Sanchez, etc.*

86. — *Dixi per se*, quia, si filius nimia pericula salutis incurreret in mundo, non tenetur in eo remanere ad succurrendum parentibus. Sic *S. Thomas*, *Quodlib.* 10, art. 9 : « Aut is qui habet propositum intrandi « Religionem videt in sæculo non posse vivere sine peccato mortali, vel « non de facili; si timet sibi periculum peccati mortalis, cum magis tenetur « salutem animæ suæ providere quam corporali necessitati parentum, « non tenetur in sæculo remanere. »

87. — *R. ad 2^m Quæ. Affirmative*, in extrema necessitate, ut patet. Debent enim filii omni modo possibili servare vitam genitoribus, a quibus vitam acceperunt. Excipe, nisi filius e claustris parentibus subvenire possit. Si vero necessitas parentum sit tantum gravis, probabilius non tenetur neque potest e Religione egredi, saltem sine licentia, quæ a Superiore denegari potest. Sic enim *S. Thomas*, 2. 2, q. 101, a. 4 : *Ille vero qui jam est in Religione professus, reputatur quasi mortuus mundo; unde non debet, occasione sustentationis parentum, exire e claustris.* Attamen valde probabiliter dicunt plures, filium debere egredi ad succurrendum parentibus in gravi necessitate existentibus, si necessitas illa ante Professionem contracta fuit, quia obligatio jam contracta non exstinguitur per Professionem. *S. Lig. n. 67. — Elbel, etc.*

88. — *R. ad 3^m Quæ.* Parentes Religionem ingredi non possunt, non tantum si filii juniores eorum auxilio temporali indigeant, id est, si in necessitate gravi versentur, sed etiam si ad eorum educationem spiritualem necessarii sint. Secus autem de filiis emancipatis aut majoribus, quos parentes, ordinario loquendo, nec alere nec instruere amplius tenentur, nisi filii per accidens gravi necessitate laborent. — *S. Th. ibid. — S. Lig. n. 69.*

R. ad 4^m Quæ. Non licet fratres aut sorores deserere in extrema necessitate; sed licet in gravi. Attamen posset quis, ratione caritatis, differre aut etiam omittere statum religiosum, ad subveniendum fratribus graviter

indigentibus. Idem vero, si votum Religionis emisserit, ingressum differre non posset, nisi ad breve tempus. *S. Lig. n. 70.*

89. — *R. ad 5^m Quæ.* Seu, an recte egerit FLORENTIUS Religionem ingrediendo? *Neg. per se*, id est, nisi magno salutis periculo in sæculo fuisset expositus. Ratio est, quia pater, vir senex, nobilis, ad inopiam vergens, versatur in gravi necessitate, saltem relativa. Ergo ejus filius, non obstante voto emisso Religionem ingrediendi, ei succurrere debet, statum perfectiorem postponendo. Non tamen tenetur FLORENTIUS Religionem renuntiare ad succurrendum fratri, quia hic, tunc temporis saltem, versabatur in necessitate gravi tantum; atqui frater non tenetur Religionem posthabere, ut fratri, gravi necessitate presso, succurrat, juxta superius dicta. Ergo, etc.

90. — *R. ad 6^m Quæ.* FLORENTIUS, emissa professione solemniter, ad rigorem non tenetur Religionem relinquere ut patri succurrat; quia, ex dictis, statum suum deserere non debet, nisi ad subveniendum parentibus in extrema necessitate positus. Potest tamen probabiliter e claustris ad hunc finem exire, quia necessitas patris præcessit Professionem, imo ingressum in Religionem. Proinde potest quidem egredi, nec tamen ad id strictè obligandus est.

CASUS VI.

CONSENSUS PARENTUM

In vocationem.

LAURENTIA, puella egregiis moribus conspicua, apud Moniales in monasterio quodam a teneris annis educata, cum ad ætatem 18 annorum pervenisset, atque domum paternam repetere jussa fuisset, genitores enixe rogavit ut sibi copiam facerent ibidem remanendi, Religionis amplectendæ gratia. Sollicitanti aurem surdam parentes præbuere. Tristis igitur et afflicta LAURENTIA domum repetiit, et mundum, a quo abhorrebat, propius intueri coacta est. Sed, nedum a pio proposito desisteret, fovit in dies magis ac magis vitæ religiosæ desiderium. Per triennium non cessavit, fuis lacrymis et precibus, parentes deprecari, ut ipsa voti sui compos fieret. Ast incassum. Annuisset quidem pater, lacrymis filiæ victus, nisi mater a consensu præstando eum deterruisset. Verum egregia puella, morbo gravi correpta, mox ad extrema perducta est. Jam moriens lacrymanti et ejulanti genitrici ait : « Noluisti, mater, ut in terris sponsa Christi fierem, ecce jam me ad se cœlestis Sponsus advocat. » His dictis, lætabunda candidam efflavit animam.

HINC :

QUÆR. 1^o *An graviter peccent parentes vocationi religiosæ filiorum obstantes, vel eos a Religione, minis, dolo, instantibus precibus, avertentes?*

2^o *An filii, invitatis parentibus, Religionem ingredi possint?*

3^o *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

91. — *R. ad 1^m Quæ.* Certo peccant graviter parentes qui, sine justa causa, minis, vi, fraude, filios a Religione avertunt. Nullus enim eos a peccato mortali excusat, ait *S. Ligorius, n. 77.* — Quid vero, si eos avertant precibus vel promissionibus? — *R.* Omnino tenendum, ait *S. Alphonsus ibidem*, cum sententia communi Doctorum, hos parentes peccare graviter. Ratio est, quia hoc non potest esse sine gravi damno illius qui a Religione retrahitur. Quare, sive fiat vi, sive fraude, aut precibus, non potest a peccato gravi excusari. Imo plures Theologi damnant de mortali non solum parentes, sed etiam extraneos, qui aliquem a statu religioso avertunt, quia hoc multum caritati repugnat. Sed parentes, avertentes filios a Religione, duplex peccatum grave committunt, scilicet, unum contra caritatem, et alterum contra pietatem, quia ex officio proprio tenentur educationi et profectui spirituali filiorum vacare. *S. Lig. ibid.* Attamen, concludit *S. Doctor*, non est negandum quod plures parentes excusari possint a peccato mortali, saltem per aliquod breve tempus, ratione ignorantiae, vel inadvertentiæ, quæ de facto in eis inesse potest, ob vehementem carnis affectum erga filios.

92. — *R. ad 2^m Quæ.* *Affirm. per se.* — Ratio est, quia filii sunt omnino liberi circa status vitæ electionem. Hoc autem præcipue valet pro statu religioso. Igitur, circa electionem status religiosi, filii non tenentur consilium genitorum exspectare; imo nec expedit ut exspectent, quia in hoc parentes non tantum nullam habent experientiam, sed etiam quia ob proprium commodum mutantur in hostes, ut ait *S. Thomas, 2. 2, q. 189, a. 10*, et post eum *S. Ligorius, n. 68.* Attamen, si filius facile et tuto consensum parentum obtinere possit, convenit ut aliquantulum exspectet, quo illum consequatur. Si vero juste timeat ne parentes vocationi obstant, ab omni culpa excusatur, si, iis insciis, domum relinquat et Religioni se addicat. *S. Lig. ibid.*

93. — *R. ad 3^m Quæ.* Seu, quid ad casum? Pessime egerunt parentes LAURENTIÆ, et præsertim mater, adeo crudeliter votis filiæ obstando; nec dubium est, quin gravi peccato inquinati fuerint. Hujusmodi parentes malunt perire cum filiis quam salvari sine eis, ut ait *S. Lig. n. 68.* Hinc exclamat *D. Bernardus, Epist. III: O durum patrem! O sævam matrem! O parentes crudeles et impios! non parentes, sed peremptores: quorum dolor, salus pignoris; quorum consolatio, mors filii est?* Quot parentes injuste vocationi filii vel filiæ se opposentes, ut LAURENTIÆ genitores, ejus morte puniti sunt? Cur lacrymas profundis, impia mater, in corpus examine filiæ tuæ? nonne tu ipsissima eam peremisti?

CASUS VII.

CONSENSUS EPISCOPI PRO CLERICO

In vocationem religiosam.

FIRMINUS, neo-Sacerdos, ut quamplurimorum salutem impendi posset, Religioni in qua sacræ missiones peraguntur, nomen dare statuit. Licen-

tiam igitur ab Episcopo, enixis precibus, efflagitat, ut pium propositum assequi valeat. Hic autem absolute obsistit. FIRMINUS, iterato sæpius et frustra quidem postulato, quadam intempesta nocte, inscio Prælato, aufugit. Indignabundus vero Episcopus in subditum suspensionem fulminat, nisi statim ad diœcesim redeat.

HINC :

QUÆR. 1^o *An clericus Religionem ingredi possit invito Episcopo?*

2^o *An fuerit valida Episcopi censura? et quid ad casum?*

SOLUTIO :

94. — *R. ad 1^m Quæ.* Episcopus minime impedire potest Clericos, vel Parochos sibi subditos, ne Religionem ingrediantur. — Constat ex *Jure canonico, cap. Clerici, 19. q. 1.* Excipe, nisi ingressus alicujus Clerici gravi detrimento esset Ecclesiæ cui erat addictus. Si igitur aliis, ordinariæ, Episcopus consensum deneget, Clericus, eo invito, proficisci potest, ut alio in loco Religionem amplectatur. Parochus, aut alius habens curam animarum, tenetur Episcopum prius monitum facere de suo proposito, ne grex sine custode deseratur. Si vero Episcopus dissentiat, Presbyter nihilominus Religionem ingredi poterit. Sic *Bened. XIV, Bulla: Ex quo dilectus.....*

95. — *R. ad 2^m Quæ.* Nequaquam. Censura enim ferri nequit nisi in delinquentem. Porro, ex dictis, FIRMINUS non fuit delinquens; quia ille non est delinquens, qui jure suo utitur. Ergo omnino excusandus est FIRMINUS; ergo irrita est suspensio, quam fulminavit Episcopus.

CASUS VIII.

VOTUM PAUPERTATIS 1^o.

DAMARIS, Monialis professa, inaudiens patrem suum supremum diem obiisse, disponere vellet de parte hæreditatis sibi obtingente, cui nullatenus ante Professionem renuntiaverat, tum in pias causas, tum in alicujus fratris commodum. Cum autem voto suo satisfaciendi facultatem a Superiorissa postulasset, hæc obstupescens: « Bone Deus, ait, quid est quod petis, Soror? Nescis igitur hoc nequaquam fieri posse, ne dispensante quidem Episcopo, imo vel ipso Papa, sed solo Deo Omnipotente, cui solemniter Professio facta est? »

HINC :

QUÆR. 1^o *Qualis sit efficacia voti paupertatis, sive simplicis, sive solemniter?*

2^o *A quo jure oriatur? an a divino, vel ecclesiastico?*

3^o *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

96. — *R. ad 1^m Quæ.* Votum solemne paupertatis reddit Religiosum inhabilem ad rem quamlibet, prætio æstimabilem, possidendam tanquam propriam. Votum vero simplex non reddit quidem Religiosum inhabilem